AD

ORATIONES

MEMORIAE

HENRICIANAE RIDELIANAE

ET

SEYFERTIANAE

SACRAS

D. I. MART. CIƆIƆCCLXXXXIV.

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM

HORA IX AVDIENDAS

HVMANISSIME INVITAT

FRIDERICVS AVGVSTVS GVILIELMVS WENCK

Inest relatio de binis Codicibus epistolarum et legationum ineditarum Sigismundi I. et Sigismundi II. Augusti, Regum Poloniae.

Poloniae regnum, poſt infelicem Boleslai III. inter filios terrarum partitionem, diuturnis bellis ciuilibus fatigatum, mox Caſimiri magni ſapientia recreatum, ſub imperio regum Iagellonicae ſtirpis vires recepit, maximeque regnantibus Sigismundo I. et Sigismundo II. in quibus defecit Iagellonis poſteritas, effloruit. Salua tum erat regum, ipſiusque familiae regiae, a qua ſuffragia electorum non diſcedebant, maieſtas atque dignitas, ſalua Ordinum libertas, legum auctoritas. Neque deerat armorum apud exteros vicinosque populos reuerentia, imo Poloniae regnum, adiunctis Lithuanorum opibus, latiſſimis finibus patens, recepta Maſouia, fracta equitum Teutonicorum potentia, Pruſſiae Curoniaeque regionibus principibus haereditariis, beneficiario iure, traditis, Liuonia, deuictis Ruſſis, in prouinciae formam redacta, nulli potentiorum Europae ciuitatum illius aetatis impar aut ſecundum fuit.

Ab hoc autem proſpero rerum ſtatu cum ſequentibus ſaeculis Polonorum respublica tantopere deflexerit, vt vix ſui ſimilis videatur, lubenter humanitatis amici ab his malis, quibus infelix populus recentiore aeuo ſuccubuit, oculos auertent et in laetiora eius tempora coniicient. Hoc animo cum nuper in hiſtoria Polona iuuentuti diſcendi cupidae tradenda occuparer, mihique ſcribendi occaſio offerretur, putabam non ingratum me facturum hiſtoriae, inprimis Polonae, ſtudioſis, ſi de binis Codicibus ineditarum epiſtolarum et legationum Sigismundi I. et huius filii Sigismundi II. quibus vtriusque regis, maxime autem patris, hiſtoria illuſtratur, quantum pateretur anguſtia libelli, qua concludor, referrem.

Hos Codices, cum adolescens in hanc litterarum Vniuersitatem me contulissem, singularique artium historicarum amore, patris fratrisque natu maioris (qui historia Hassiaca scribenda sibi nomen fecerunt) exemplis aucto, flagrans, omnis generis suppellectilem historicam, maxime autem monumenta inedita, compararem, ab haeredibus viri docti sed alieni ab historicis artibus, redemi; in cuius bibliothecam qua via peruenerint, rescire mihi, quanquam diligenter inquirenti, non licuit. Multa historiae Polonae monumenta inedita e Polonia in Germaniam, inprimis tempore regum Poloniae Saxonicae stirpis, translata fuisse constat, alia vt in bibliothecis seruarentur, vti Petri Tomicii, Episcopi Cracouiensis et regni Poloniae Cancellarii, Epistolae, quarum exemplum, *e protographis in bibliothecam aliquam Germaniae delatis*, descriptum, illustris Ogrodzkius in Poloniam retulit et bibliothecae Zaluscianae inseruit[1]), alia vt typis exscripta in lucem prodirent, vti Dlugossi historia Poloniae integra, vti Sigismundi II. Epistolae et pars Actorum pacis Oliuensis, qui libri a Krausio et a Menckenio Boehmioque in publicum editi sunt. Epistolae Sigismundeae a Menckenio editae[2]), his, quas mei Codices habent, tempore posteriores, argumenti autem ratione et dicendi genere simillimae sunt, et easdem quodammodo continuant, neque improbabilis est coniectura, ipsos hosce codices eo animo, vt typis excuderentur, Lipsiam transmissos fuisse, cui consilio vel editoris casus nescio quis vel

1) v. Io. Dan. Andr Ianozki *Specimen Catalogi Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Zaluscianae* (iussu et sumtibus Andreae IV. Zaluski, Episcopi Cracou. a. 1752. 4. editum) p. 36. n. XCIII.

2) *Sigismundi Augusti — epistolae legationes et responsa.* E Museo H. de Huyssen. — Recensuit Io. Bernhard Menckenivs. Lipsiae 1703. 8. Post editum hunc librum, Menckenius aliam epistolarum, nisi regis nomine scriptarum, eius certe historiam illustrantium, collectionem accepisse videtur, quae in *Bibliotheca Menckeniana*, quam ipse Lipsiae 1727. 8. iterum edidit, p. 821. inter *Manuscripta*, his verbis describitur: *Epistolae Principum et virorum illustrium, qui statum publicum Poloniae sub Sigismundo Augusto (ab A 1528 ad 1553) concernunt, inter editas nondum relatae*; in quibus tamen verbis duplex typographi error emendandus videtur; nam loco *qui* legendum *quae*, loco: 1528. ponendum: 1548. quo anno demum regnare coepit Sigismundus Augustus.

vel frustrata spes aequi redemtoris (nam Sosii Germanici monumentis historiae antiquioris, inprimis latine scriptis, quae hodie auersantur, ne patrum quidem nostrorum memoria magnopere fauebant) obstiterit.

Primum volumen, CLXIX paginis formae maximae, sub initium huius saeculi, ex autographis, si fides librario ad ea aliquoties prouocanti, descriptum, LXXXXV. epistolas et legationes continet, inde ab a. MDXV. vsque ad annum MDLIII. scriptas, quarum octoginta priores, adnumeratis decem legationibus (quae mandata legatis data, orationesque ab eis habitas et responsa Principum, complectuntur) ad Sigismundi I. reliquae ad Sigismundi II. historiam pertinent: pleraeque epistolae ab ipsis his regibus, certe ipsorum nomine, scriptae sunt, et quidem VI. ad Carolum V. Ro. Imperatorem, IV. ad eiusdem fratrem Ferdinandum I. Ro. Hungariae et Bohemiae regem, *vna* ad huius filium et in regnis successorem, Maximilianum secundum, II. ad Solimannum II. Turcarum Imperatorem, *vna* ad Mariam Angliae reginam, *vna* ad Christianum III. Daniae regem, VIII. ad Ioannem, Hungariae regem, III. ad Ioannis vxorem, Isabellam, Sigismundi I. filiam, II. ad Barbaram, Sigismundi I. coniugem, V. ad Paulum III. summum Pontificem, *vna* ad Paulum IV. S. P. III. ad Cardinales diversos, VI. ad Albertum Brandeburgicum, Prussiae ducem, *vna* ad Georgium, Marchionem Brandeburgicum, I'. ad Petrum, Moldauiae Principem, *vna* ad Hermannum, ordinis Teutonici in Liuonia Magistrum, *vna* ad Rigensem ciuitatem. Reliquae Sigismundorum epistolae ad diuersos episcopos aliosque viros principes scriptae sunt, qui ea aetate in Polonia, Prussia orientali atque in exteris aulis, summis rebus praeerant. Hisce epistolis, Sigismundi vtriusque nomine exaratis, accedunt aliae ab aliis scriptae, *vna* Ferdinandi Ro. H. et Bo. regis, ad Sigismundum II. *vna* Ioannis Przerembskii, Poloniae Procancellarii, ad Isabellam, Hungariae reginam, denique IX epistolae virorum loco et doctrina illustrium ad alios eiusdem ordinis viros datae. Legationes huius voluminis, quae vocantur, continent acta vel agenda cum Maximiliano I. Carolo V. et Ferdinando I. Ro. Imperatoribus, praeterea cum Solimanno II. et cum Principibus Imperii Germanici tempore comitiorum Ratisbonae a. MDXXXXI. habitorum, nec non cum Ordi-

nibus Poloniae Prussiaeque in comitiis Pietricouiensibus et Elbingensibus congregatis. Accedit mandatum Alberti, Prussiae ducis, oratori in aulam Sigismundi I. ablegato, datum.

Iam quod ipsum attinet argumentum epistolarum et legationum, de quibus exposuimus, illud fere tam varium est, quam ipsa temporum, quibus scriptae sunt, historia; inprimis tamen in iis agitur de congressu Maximiliani I. Ro. Imp. et trium regum (quorum vnus Sigismundus I. erat) a. CIↃDXV. prope Viennam habito; de abolenda proscriptionis sententia, Imperii Ro. Germanici nomine contra Albertum Prussiae ducem pronunciata, deque constitutione et finibus Prussiae orientalis; de dissidiis bellisque inter Hungariae reges, Ferdinandum I. et Ioannem, Ioannisque viduam et filium annis minorem, Ioannem Sigismundum; de bello et induciis inter Ferdinandum I. et Solimannum II; de dissidiis et bellis Polonorum cum Moschis (nam hoc tantum nomine Russorum in his epistolis mentio fit) Tataris et Valachis, nec non de induciis cum his Poloniae hostibus vel initis vel ineundis; de familia Buckinghamensi in pristinum dignitatis locum restituenda, reddendisque bonis, quibus eam Henricus VIII. Angliae rex, propter perduellionis crimen, iniuste exuerat; de pacando et ordinando Poloniae statu, denique de conseruanda et defendenda commerciorum, quae Polonis cum exteris populis intercedebant, libertate.

Alterius Voluminis duplex habeo exemplar, vtrumque maximae formae; vnum, quod CCCXXIV paginis absoluitur, manu ipsum saeculum decimum sextum prodente, litteris adeo elegantibus scriptum, vt non penna sed chalcographi arte expressae videantur, alterum quod CCCCI. paginas explet, circa medium saeculum decimum septimum, e priore, satis quidem accurate, descriptum. Omnes, quas hoc volumen continet, epistolae et legationes, vno anno saeculi decimi sexti quadragesimo primo scriptae sunt, quapropter argumenti huius voluminis multo minor est quam primi diversitas. Initium faciunt Alberti, Prussiae ducis, et consiliariorum vtriusque Prussiae, qui vocabantur, ad Sigismundum I. et huius ad ipsos, epistolae, numero XIII. quae ad Prussiae iura, habitosque eo anno Marienburgi et in oppido Graudentino conuentus, pertinent. Binae epistolae, vna Sigismundi I. altera Ferdinandi I. ad Carolum V. nec non orationes binae legati Poloni ad eundem Imperatorem et ad Principes

Principes Imperii Germanici habitae, vt decretum proſcriptionis contra Pruſſiae ducem emiſſum reſcindatur, poſtulant. Eidem Imperatori Bona regina ius in ciuitates Cremonam et Tortonam, quod ſibi vindicabat, per legatum commendat. Septem epiſtolis Petrus Gamratus, Archiepiscopus Gnesnenſis, Ioannes Tharnouius Comes, Caſtellanus Cracouienſis, et Petrus Opalenski, Magiſter curiae Sigismundi II. de turbis in Polonia paſſim motis, deque machinationibus inimicorum Gamrati, et diſſidiis quorundam optimatum, Bonam edocent. Binae epiſtolae Sigismundi I. ad Paulum III. S. P. nec non vna ad Ghinutium Cardinalem, iura regis episcopos nominandi definiunt. Reliqua huius voluminis acta, numero LXV, in quibus multae ſunt Ferdinandi I. Sigismundi I. nec non Sigismundi vxoris, Bonae Sfortiae, et filiae Iſabellae, praeterea Solimanni II. epiſtolae, multae relationes oratorum nuntiorumque ab iſtis Principibus ablegatorum, ſi a paucis locis disceſſeris, in quibus, data occaſione, aliorum negotiorum mentio fit, de bello agunt, quod eo anno ingenti virium contentione inter Ferdinandum I. et Solimannum, Iſabellamque filii impuberis iura tuentem, in Hungaria gerebatur, frequentesque adeo de rebus hoc bello geſtis, inprimis de Buda a Turcis capta, narrationes, duo etiam carmina de excidio Hungariae, vnum latina, alterum Polonica lingua ſcriptum, inſerta leguntur.

Vtriusque Voluminis epiſtolae honorifica hiſtoricorum iudicia de vtroque Sigismundo, maxime autem de Sigismundo I. cui magni nomen indiderunt, quemque Paulus Iouius non dubitavit aequare Carolo V. et Francisco I. (quibus ſi rerum geſtarum ſplendore et fama impar, certe animi moderatione ſuperior fuit) egregie confirmant, cum in iis multa documenta iuſtitiae eius et aequitatis cum prudentia coniunctae, praeterea ſingularis patriae amor, et inſignis cura pacis tam in Polonia quam per totum orbem chriſtianum vel conſeruandae vel reſtituendae, conſpiciantur [3]). Bonam autem Sfortiam, poſtremis vitae Sigismundi I. annis, decre-

3) Confirmant inprimis codices noſtri teſtimonium ſcriptoris anonymi ſed temporibus aequalis, Auctoris *vitae Petri Kmithae, Palatini Cracouienſis* (ORICHOVII *Annalib.* additae) qui cum Sigismundum *regni Poloni ſub prioribus regibus afflicti ac dilacerati reſtauratorem ac patrem patriae vocaſſet*, addit: *Etenim ſub nullo priorum regum Poloniae regnum ipſum maiore*

decrepiti iam ſenis (nam octogeſimum ſecundum aetatis annum agens fatis eſt functus) infirmitate et facilitate, muliebri impotentia abuſam eſſe, ita quidem vt nihil maioris rei ſine ipſius arbitrio gereretur, epiſtolae et legationes ſecundi voluminis oſtendunt, quibus oratores et proceres alii ipſique Principes de ſummis rebus, non ſolum ad Sigismundum, ſed etiam ad Bonam ſcribunt, et huius reginae, nomine tantum bonae, gratiam aucupantur.

Omnes vtriusque voluminis epiſtolae legationesque latina lingua, cuius publicum in Polonia vſum eſſe ſatis conſtat, exaratae ſunt, ſtylo non omnino quidem puro, qualem ſolemnes in tractandis publicis negotiis ſcribendi formae ne quidem admittunt, ſed tamen facili ſatisque eleganti et tam ſcribentium dignitati quam rerum, de quibus agitur, grauitati apto. Nam magnam partem ſcriptae ſunt auſpiciis Petri Tomicii, illius qui, cum in noſtra Academia, nec non apud Bononienſes et Romanos, optimis litteris operam dediſſet, et in Poloniam redux, beneuolentia Sigismundi I. Cancellarii dignitatem, cum aliis ampliſſimis muneribus, conſequutus eſſet [4]), barbariem ſermonis latini e *Cancellaria* exulare iuſſit, et cum hoc tum aliis meritis *pater et norma Cancellariorum* inter Polonos dici meruit [5]). Cuius exemplum ſequentes Cancellarii aemulati ſunt, et Ioannes Zamoyſcius, vir belli pacisque

iore religione, fide, iuſtitia, cultu, fama, gloria, Senatus maieſtate, conſilio, ſplendore, pace, victoriis, legationibus, regum foederibus, matrimoniis, congreſſu amore beneuolentia Caeſarum, libertate et diuitiis domeſticis, libertate ſubditorum, adeo floruit, atque ſub hoc vno Monarcha maximo, qui laetis ſucceſſibus ac felicitate diuinitus ei data, illud adeo illuſtrauit, vt par caeteris ampliſſimis regnis exiſtimaretur. Durius eſt quod additur: *ſed haec tanta bona ſua populus ſtultus intelligere non potuit.* Fuit enim hoc apud omnes populos ſummorum virorum, maxime autem imperantium, commune fatum, vt tum demum, cum ſupereſſe deſiiſſent, virtutibus eorum iuſtum pretium ſtatueretur.

4) v. Sim. STAROVOLSCII *Scriptor. Polonic.* ἑκατοντὰς n. VI. p. 16. edit. Wratisl. Tomicius a. 1535. e vita diſceſſit.

5) v. epiſcopi Plocenſis Stanisl. LVBIENSKI, qui Cancellarius ipſe fuit, *Opera politico-hiſtorica* (Antwerp. 1643. f.) p. 218.

pacisque artibus ſummis omnium aetatum hominibus comparandus, etiam ſuperauit [6]).

Caeterum quod epiſtolas et legationes vtriusque codicis ineditas dixi, hoc ita intelligi volo, ex eis perpaucas tantum publici iuris factas eſſe. Quantum enim reperire mihi licuit, e ſcriptis voluminis primi binae tantum epiſtolae, altera Sigismundi I. ad Abbates Pruſſiae, altera Erasmi Roterodami ad Cricium, episcopum Plocenſem, ſcripta, ex iis autem, quae ſecundum volumen continet, quatuor diplomata, quibus conſiliarii, hoc vero eſt ordines, Pruſſiae occidentalis, de rebus prouinciae ſuae ad Sigismundum I. retulerunt; praeterea vna Sigismundi epiſtola ad Carolum V.; vna Alberti, Ducis Pruſſiae, ad Sigismundum I. ſcripta, denique poëma latinum ſupra commemoratum, cuius auctor eſt Clemens Ianitius, in publicum prodierunt, e regni Poloniae ciuitatisque Gedanenſis tabulariis editoribus communicata, vel ab ipſis auctoribus edita [7]). Itaque ex omni numero diplomatum CLXXXVIII. quae in vtroque codice continentur, edita tantum ſunt IX. inter quae eſt carmen illud latinum, quod in ſecundum codicem, tanquam in alienum fundum, irrepſit.

Iam vero percuperem, diuerſis ſpeciminibus editis, quanta ſit vtriusque collectionis vtilitas ad hiſtoriam illorum temporum illuſtrandam, hiſtoricorumque narrationes vel confirmandas vel ſupplendas vel emendandas, oſtendere; ſed anguſtis huius libelli terminis ab amplitudine argumentorum politicorum, in quibus potiſſimum verſantur epiſtolae

6) cf. Gottfr. LENGNICH *Ius public. Poloniae* T. II. L. III. C. VIII.

7) Quatuor diplomata Pruſſica, e tabulario ciuitatis Gedanenſis, edidit Gottfr. LENGNICH in *Geſchichte der Preuſſiſchen Lande Königl. Pohlniſchen Antheils* T. I. inter *Docum.* p. 227 ſqq. n. 90 vsque ad 93. Tria documenta Polonica, e tabulario regni, ediderunt *Religioſi Scholarum piarum* in *Codice diplomatico regni Poloniae* T. IV. (Vilnae 1764. f.) p. 303 vsque ad 308. ERASMI epiſtola legitur in eius *Operibus* (edit. Lugd. Bat. 1703.) T. III. *epiſtolico* col. 897. IANITII carmen inter poemata eius, ab ipſo Cracouiae 1542. octonis edita, libro *Triſtium*, *Eleg.* VIII. et in noua editione a Io. Ehrenfried *Boehmio* curata. (Lipſ. 1755. 8.) p. 29. In meis codicibus iſta diplomata extant, in primo n. 51. et n. 78. in ſecundo n. 3. 8. vsque ad 11. n. 13. carmen legitur n. 89.

epiſtolae et legationes iſtae, excluſus, hac certe vice tantum loca ad religionis et litterarum ſtatum ſpectantia, vel notabo, vel excerpam, quae et pauca et cum litteraria ſolemnitate, cuius indicendae cauſa haec ſcribuntur, propius coniuncta ſunt.

Sigismundus I. cum tempore inſtitutae et propagatae Reformationis ſacrorum aetate iam prouectior eſſet, neque eas de religione ſententias, quibus ab incunte aetate innutritus erat, ſenex dimittere poſſet velletue, ſibique perſuaſum haberet, diſſidia iſta, conuocato Concilio, poſſe componi, longa et diſerta epiſtola [8]) a Carolo V. petiit, vt non pateretur ſummum Pontificem Concilium diutius differre et procraſtinare, addens ſe eandem ob cauſam etiam Romam oratorem ablegaſſe. Idem a. CIↃIↃXL. ſeuero edicto cauit, ne parentes filios in exteras ſcholas Academiasque, nouis de religione opinionibus infectas, mitterent, miſſos ſtatim reuocari voluit; de cuius edicti variis difficultatibus, inprimisque de periculo, ne ſtipendia Lipſiae Pruſſis deſtinata intercideremt, ſi nulli ibi adeſſent Pruſſi, cum Sigismundum admonuiſſet episcopus Varmienſis, *Ioannes Dantiscus*, rex d. IV Iul. eiusdem anni in hanc ſententiam reſcripſit: *Scholas Lutheranas vitari volumus ab omnibus, qui ſunt ditionis noſtrae, libros itidem haereticorum a quoquam legi prohibemus, neque paſſuri ſumus, vt eorum dogmata quis in terris noſtris ſpargat. — De ſtipendiis Lipſienſibus Veſtrae Paternitatis iudicium facimus, eane ſatius putet interire, an vt pereant tot animae, quas pretioſo ſanguine Chriſtus redemit, peſtilentiſſimis de fide et religione opinionibus infectae. Sed ſi ratio tamen aliqua reperiri queat, qua ſalua eſſe poſſunt ſtipendia, etiam vt nemo Lipſiam proficiscatur, quam diu haec ibi ſaeua animorum peſtis graſſatur, modo vt eam nobis oſtendat Pat. Veſtra, libenter eam amplectemur. Vt ne intereant ſtipendia, pro virili noſtra prouidere conabimur; ſed ſi alterius ſit rei iactura facienda, nobis quidem ſtipendiorum quam animarum iactura minor eſſe videretur.* Iam cum episcopus, litterarum, quod dulciſſima eius carmina latina oſtendunt, amantiſſimus, quique ipſe non prorſus alieno a purioris doctrinae chriſtianae ſententiis animo eſſe crederetur, denuo pro ſtipendiis Lipſienſibus inter-

8) Scripta *Cracouiae* d. 26 Dec. 1536. extat in Codice primo n. 2.

tercessisset, hoc a rege tulit responsum Vilnae d. XXIV Iul. eiusdem anni datum: *Quae scribit ad nos Pat. Vestra de stipendiis, quae Lipsiae debentur iis, qui ex terris nostris Prussiae, propter ingenii cultum capiendum, eo proficiscuntur, atque a nobis petit, vt rationem ineamus, qua prouideri queat, vt ne stipendia ista intereant, si nemo ex terris Prussiae Lipsiam fuerit profectus, ea abunde intelleximus. Caeterum quod petit a nobis P. V. id ipsi potius Eam vt faciat hortamur, rationemque nobis commonstret, qua stipendia ista conseruari possint. Nam si alia non est, quam vt libera sit hominibus nostris Lipsiam profectio, etiam atque etiam videat P. V. ne dum capiti mederi debeat, recidiua curasse videatur; nobis certe minor esse stipendiorum, quam animarum iactura videtur* [9]). Alia epistola ad Vratislauiensem episcopum scripta, dolet Sigismundus, *denarium S. Petri*, in locis episcopo parentibus, *aut non solui aut si soluatur ab iis parochis, quibus exigendi eius cura est mandata, retineri, atque in priuatos vsus conuerti*, eumque abusum tollere iubet; e quo loco apparet, hoc vectigal, summo Pontifici olim quotannis a Polonis debitum, eo iam tempore aegre et cunctanter persolutum esse [10]). Caeterum quanquam haec Sigismundi I. in religionem catholicam et in ipsum summum Pontificem voluntatem ostendant, ille tamen non omnia probabat, quae Romae fiebant, imo multa, in primisque frequentem pecuniae exactionem, maximopere improbabat. Nam pluribus epistolis ad ipsos summos Pontifices scriptis queritur, quod per frequentes mutationes morte vel translatione episcoporum adductas,

 anna-

9) Vtramque epistolam exhibet Codex primus n. 48 et 49. His illustrantur quae de Sigismundi I. *odio nouae religionis et ciuitatum Germaniae eius lue polutarum* Antonius Maria GRATIANVS *de vita Commendoni Cardinalis* p. 124 sq. (edit. Patau. 1685) narrat. Caeterum non diuturna haec pontificiorum laetitia fuit; nam cum ex hoc Gratiani libro, tum ex aliis iisque limpidioribus historiae illorum temporum fontibus constat, Sigismundum II. genuinam Christi doctrinam, cui fauebat ipse, omnibus, vbicunque vellent, discendi docendique liberrimam potestatem fecisse.

10) Epistola scripta Cracou. d. 20 Febr. 1540. extat in Cod. primo n. 50. Parum rediisse ex isto vectigali ad S. P. etiam ex eo colligi potest, quoniam Paulus IV. illud Sigismundo II. ad tuendos regni fines donauit; v. LENGNICH *Ius publ. Regni Poloni* T. II. p. 631.

annatarum, *pallii aliorumque onerum nomine*, *ingens auri vis ex inopi regno exportetur atque eo deferatur*, *vbi multo maior ſit illius copia*, quo factum eſſe dicit, *vt vix aurum in regno reperiatur*, *vtque ſi reperiatur*, *quam maximo id emere oporteat;* dolet idem *nimium Polonos emungi, eoque ipſi regi incredibilem moleſtiam creari*, *cum ordo equeſter in omnibus comitiis in ipſum inuehatur*, *qui tantum auri e regno efferri patiatur*; oſtendit Pontifici, *regnum Poloniae vndique hoſtibus circumſeptum et quaſi obſidione quadam incinctum eſſe*, *maximumque a Turcis periculum imminere*, *adeoque iniquum videri debere* dicit, *tantum numorum*, *qui belli nerui ſint*, *exportari ex eo regno*, *quod*, *tam difficili et periculoſo tempore*, *omnium Chriſtianorum opibus adiutum potius*, *quam a quoquam exhauſtum oporteret*: rogat igitur, vt Pontifex, cum Ioanne Lascio, cui rex de annatis mandata dederat, agat [11]).

Sigismundus I. Erasmum Roterodamum in Poloniam arceſſere cupiebat, cuius inuitandi opportuna occaſio offerebatur. Scilicet inter egregia ingenia, quorum inſignem prouentum ea aetate Polonia habuit, eminebat Andreas Cricius, qui cum apud Pariſinos et Bononienſes humanitatis ſtudiis et ſcientiae iuris operam dediſſet, in patriam autem reverſus ſacro ordini ſe totum addixiſſet, regi optimatibusque breui tempore excellentes ingenii dotes ita adprobauit, vt velut rapidiſſimo fortunae aetatem ſuperantis curſu primum Premislienſis, mox Plocenſis episcopus, tandem Archiepiscopus Gnesnenſis totiusque regni Primas crearetur, adeoque ſecundum a rege locum teneret. Huius Cricii opuscula quaedam a binis nobilibus Polonis oblata, cum Erasmus legiſſet et magnopere probaſſet, ſcripſit ipſe ad Cricium, tum quidem Episcopum Plocenſem, teſtatusque quanti eius ingenium faceret, Tonſtalli episcopi Londinenſis librum dono

11) Extant diplomata, e quibus loca quaedam excerpſi, Cod. primi n. 27-30. Cod. ſecund. n. 15. 16. De motibus equeſtris ordinis a. 1537. *acriter poſtulantis vt rex annatas atque ea omnia*, *quae in expeditione episcopatuum caeterorumque ſacerdotiorum Romae numeranda veniunt*, *pro regni neceſſitatibus apud ſanctam ſedem apoſtolicam curet impetranda*, *nec niſi perfecta re conquieſceret* Ioannes Choinsky, episcopus Cracouienſis, ad Cardinalem Ghinutium (Cod. prim. n. 63.) accurate, ſed ita ſcripſit, vt maiorem aulae pontificiae, quam ſalutis patriae, amorem oſtenderet.

dono misit; respondit Cricius, epistola eleganti et prolixa, Erasmumque, conscio rege, vt fortunarum sedem in Poloniam transferret, invitauit. Erasmi epistolam inter eius opera legi supra commemoraui; cum vero Criciana nondum edita sit, nec in praestantissima epistolarum ad Erasmum scriptarum collectione reperiatur, quam S. R. BVRSCHERVS edere, vtilissimisque accessionibus illustrare instituit, operae pretium erit potiora eius loca excerpere; nam Erasmus ipse scribit, *se hanc epistolam eruditam et candidam in pignus charissimum nunquam intermoriturae beneuolentiae seruare reconditam inter ea, quae sibi sint pretiosissima* [12]).

Accepi litteras tuas, Erasme doctissime, accepi et librum, quem vna misisti Reu. P. Gutberti Tonstalli, Episcopi Londinensis; vtrumque munus multis nominibus gratissimum, atque hoc in primis quod, nescio quo meo genio, me etiam nunc sacris addictum, politiores istae litterae adeo delectent, vt prorsus auelli nequeam, vt penitus facere non possim, quin et a Sacris litteris, et a negotiis, quibus assidue distringor, suffurer semper aliquid temporis, quod illis impertiar; et proinde horum studiorum et priscae illius cultioris Theologiae aeuo nostro Principem et assertorem, meum Erasmum, non potui iam pridem, quantumlibet mihi de facie ignotum, non impense amare et suscipere. Norunt hic omnes litterarum professores, quanti fecerim semper tuas perdoctas et cultissimas lucubrationes; dicas vtilibet Batavas, certe eiusmodi sunt, vt cum omnibus priscis, siue Graeci sint, siue Latini, certare possint, idque teste non vno Cricio sed orbe. Quicquid vsquam emersit tui, mox habendum mihi, mox a Musulis meis, Scythicis illis qnidem, commendandum et formis apud nos excudendum erat. Hunc meum perpetuum in te amorem et studium non erat hactenus ea occasio tibi declarandi, quae me, hominem minime ambitiosum, vindicaret, vt a tua sic aliorum suspicione ambitus tuarum lucubrationum, quod vnum curare plerosque video etiam immeritos; quanquam et hoc felicissimum videri potest, vel falso laudari ab Erasmo. Verum cum ipse hanc ansam mihi vltro praebueris, cum hunc hominem in animum tuum induxeris, qui dudum vel solius notitiae, ne dum amoris tui, erat cupientissimus, cogita quantae mihi vluptati,

 quanto

12) v. Erasmi ad Cricium epist. scriptam Basileae 9 Septembr. 1526. *Opp.* T. III. col. 953. De prima scripta d. 5 Oct. 1525. dixi p. IX.

quanto ſolatio, tuae fuerint litterae. Iam copioſe dicit de libro Tonſtalli, de ſuo in optimas litteras amore, a quibus inuitus abſtractus fuerit, partim propinquorum voluntate, partim benignitate regis, qui episcopatum nihil minus cogitanti contulerit, quique ſcripta ipſius ita adamet, vt ea in peculiaribus ſuis ſcriniolis ſecum ferat et aſſeruet (quo loco Cricius exclamat: *hac vna ſorte vel ipſi diuino Homero culex ego comparandus*), queritur deinde de cenſoribus et vitilitigatoribus, quorum clandeſtinos morſus, quoniam omnia Erasmi et nonnulla Lutheri tueri ſoleat, vitare non potuerit, denique de libro, quem contra Lutherum (cui dura conuicia ingerit) ſcripſerat, et de alio libello, ipſo inſcio publici iuris facto, loquitur. Quae ſingula quoniam hic locus non capit, poſtremam tantum, eamque cum primis memorabilem epiſtolae Cricianae partem apponemus: *Mi Erasme, iam et nos, vt videmur longinqui, ſane male! non ignoramus quae intemperies teneat iſtam Germaniam veſtram. Dii immortales, itane perpetuo comparatum eſt, vt niſi ſumma ruant? Quot iam regna et imperia, cum ad ſummum peruenerunt, corruerunt! Id quis Germaniae accidere liquido non videt? Quae cum militari diſciplina, tum vrbibus, arcibus, mercimoniis ac denique ingeniis et litteris omnes reliquas nationes iam plane ſuperare, nec immerito, creditur, hem tibi improuiſa tempeſtas, quae omnia in naufragium ſic agit, vt ne in ſacra quidem anchora quicquam ſpei relictum videatur, idque tam foede et indigne, vt citra lachrymas commemorari non poſſit. Nimirum hoc faciunt coeleſtia numina laeſa, cum quibus pugnare quam temerarium ſit, ſatis nos vel fabellae poetarum, nedum hiſtoricorum fides admonent. In ea Babylone confuſiſſima et tanta errorum malorumque lerna te agere, mi Erasme, decus qui noſtri et magnum litterarum columen, videtur iuxta miſerum et indignum. Nam quid tu iſtic facias, vbi ſi quid recte mones, nemo obtemperat? Quare ſubduc te rogo quamprimum his turbis, teque his precor eripe flammis; eo magis ex re tua et litterarum feceris, quo ad nos prius commigraueris. Habemus regionem ex Germana quidem et Sarmatica conſtantem, ſed quam libenter inhabitant etiam hi, qui ſuas prae caeteris felices et fortunatas eſſe iactant; habemus Principem de cuius virtute, prudentia, benignitate, religione, et rebus geſtis dici ſatis non poteſt; habemus ſenatum ſapientiſſimum, habemus ſatrapas non minus litterarum quam armorum cultores; habemus ingenia non vulgaria, habemus*

bemus et nobile Muſarum habitaculum; habituri etiam Frobenios, ſi aderit Eraſmus: de vocatione et conditione te digna, ad me recipio. Annue duntaxat, et in me quid fieri a nobis velis quaere; nolo dicas te ſenem et invalidum, ea eſt aurae noſtrae ſalubritas, vt per eam reviviſcere te poſſe exiſtimes. — Tu igitur quid facturus ſis cogita in tempore, et nos quam primum certiores reddas, mi Eraſme. Vale optime, et tuum ex animo Cricium mutuo dilige. Cracouiae Decembr. a. 1525.[13]). Sed Eraſmus regi Cricioque gratiſſimum animum teſtatus, oblata conditione non eſt vſus, imo vereri ſe reſcripſit, ne diſſidia de religione, quorum imagine eum e Germania euocare voluit Cricius, etiam Poloniam turbarent [14]).

Eundem in optimas litteras animum Sigismundus etiam epiſtola ad nobilem Polonum Ioannem Laſcium [15]) Romae in clientela *Petri Bembi* agentem, oſtendit, qua aſſerit, *ad Bembum primas hoc tempore latinae eloquentiae vno omnes conſenſu deferre*, laetaturque, *quod virtutis et eruditionis ergo in ampliſſimum patrum collegium ab eo Pontifice* (Paulo III.) *allectus ſit, quo nemo fuerit vnquam in viris dignitate dignis diiudicandis prudentior*, cupit etiam *vt Laſcius ipſum in amicitiam Bembi Cardinalis inſinuet eumque ſalvere*, regis verbis, *plurimum iubeat*. Itaque Sigismundus cum tam benignus eſſet ingeniorum, etiam apud exteros, aeſtimator, eadem maiori ſtudio inter ſuos fouit, cuius cum alia documenta Codices noſtri exhibent, tum hoc etiam, quod hominibus litteratiſſimis ad legationes obeundas vſus eſt, inter quos Ioannes Cornelius Scepperus et Ioannes Dantiscus eminent,

13) Extat haec epiſtola Cod. primi n. 69. Diei nota deeſt.

14) v. reſponſionem Eraſmi Opp. T. 3. col. 954. Aliae eius ad Cricium epiſtolae leguntur ibid. col. 980. 1096. 1193. 1222. 1305. 1515. perbella eius epiſtola ad ipſum Sigismundum col. 975 vsque ad 978. Inuitationis in Poloniam honorificam mentionem facit Eraſmus in epiſtola ad Cardinalem Thomam col. 931. Caeterum ſerio rem de Eraſmo in Poloniam vocando actam, etiam ex Cricii epiſtola ad Stanislaum Hoſium, quam exhibet Cod. meus primus n. 70. apparet, vbi cum certiorem feciſſet Hoſium, Eraſmum miſiſſe ad ſe librum et litteras *ſuapte manu ſcriptas*, addit: *Cui cum reſpondebo, agam diligenter, vt ad nos commigret; eſt enim quaedam ſpes illum huc pelliciendi, de quo coram latius.*

15) Scripta Cracouiae d. 18 Iul. 1539. extat Cod. prim. n. 60.

eminent, quorum nomina egregiis scriptis posteritati commendata sunt. Illi etiam damno, quod edictum cuius supra mentionem feci mus, litteris, in Prussia potissimum occidentali, minabatur, instau randa re scholastica medelam adferre, Abbatesque ditissimorum i Prussia monasteriorum, Olivensis et Pelpliniensis, vt necessarios sun tus suppeditarent, summi Pontificis auctoritate, cum regia non suffi ceret, adigere voluit; [16]) sed hoc optato, propter tenacitatem sacri ordinis, excidit.

Iam vero orationes indicendae sunt, quas in memoriam IOANNIS DANIELIS HENRICI, *Iurisconsulti*, GEORGII RIDELII, *Dynastae Loewensteinensis et Seifersdorfensis*, et CHRISTOPHORI SEYFERTI, *Artium Magistri et Pastoris Gorlicensis*, tres iuuenes habebunt, qui beneficiis ab illorum virorum liberalitate profectis fruuntur. Primus CAROLVS ERNESTVS GOTTLIEB RÜDEL, *Auma-Variscus*, *Artium Magister*, qui a Philosophorum Ordine stipendium Henricianum accepit, differet: *vtrum desumenda sint a felicitate argumenta ad commouendos ad virtutem homines?* Dicet deinde IOANNES FRIDERICVS RVDOLPH, *Kottuitio-Silesius*, qui Rideliano stipendio ab Amplissimo Ciuitatis Lipsiensis Senatu ornatus est, *de nonnullis, quae ex calamitatibus percipiuntur, commodis.* Vltimus CAROLVS GOTTHELF WINCKLER, *Deutschossigio-Lusatus*, cui patroni Gorlicenses et Sodales Collegii B. Mariae Virginis Seyfertinum stipendium contulere, *de seligendo vitae genere tanquam re maximi momenti* verba faciet.

Quas iuuenum ornatissimorum orationes d. 1. Mart. h. IX. in Philosophorum Auditorio recitandas, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCEPS SERENISSIMVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, HVMANISSIMI, beneuoli audire velint, ea, qua par est, obseruantia oro rogoque.

16) Epistolam regis ad *Cardinalem Sanctorum quatuor*, Poloniae Protectorem, Vilnae a. 1542. (diei et mensis nota deest) scriptam, exhibet Cod. prim. n. 33. De hoc regis conatu, auctoritate Pontificis destinata perficiendi, LENGNICHIO in *Geschichte der Preuss. Lande* T. I. p. 215. 220 et 232 sq. 236 et 261. consilia de restituendo Culmensi Gymnasio e publicis actis exponenti, nihil innotuit.